





*4* 1746, 13<sup>b</sup> 15  
DISSERTATIO  
DE  
LEGATO PECVNIAE,  
dem Geld-Bermächtniß

---

QVAM  
IN ALMA GEORGIA AVGVSTA  
PRAESIDE  
IO ANNE GEORGIO  
WERNHERO D.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
A. D. APRILIS d<sup>o</sup> Iccc xlvi.  
ERICVS DANIEL LIEBHABERV<sup>S</sup>  
HANNOVERANVS.



---

GOTTINGAE  
LITERIS IO. CHRIST. LVDOLPH. SCHVLZII  
ACAD. TYPOGR.

DISSESSATIO  
DE  
LEGATO PECCANIAE  
DE Quid Geumphiutie  
OAVM  
IN ALMA GEORGIV AGASTIA  
KRAETZIDE  
IOANNI GEORGI  
WERNHERD  
PARTICO EXAMINATORVM EXAMINI  
SAMMITT  
A. M. APRILIS 1696  
ERICAS DVNNE THIRHABERAS  
HANNOVERIANAE  
GOTTINGENS  
FILII IO. CHRISTI TUDORPHI SCHAFERI  
ACAD. TYPICIS

D O M I N O  
RADOLPHO IOANNI  
ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLEN-  
TISSIMIS  
D O M I N I S  
AVGVSTISSIMI ATQVE POTENTISSIMI  
MAGNAE BRITANNIAE REGIS  
DVCIS BRVNSVICO - LVNEBVRGICI  
S. R. I. ARCHITES. ET ELECT. &c. &c.  
STATVS ADMINISTRIS  
AC  
CONSILIARIIS INTIMIS  
ERNSTO DE STEINBERG

DOMINO  
**RVDOLPHO IOANNI**

L. B. DE WRISBERG

DYNASTAE IN WRISBERGHOLTZEN

RELIQVA

DOMINO  
**HENRICO L. B. GROTE**

DYNASTAE IN SCHAVEN, IVENDE

RELIQVA

DOMINO  
**GERLACO ADOLPHO**

L.B. DE MVNCHHAVSEN

DYNASTAE IN STRAVSFVRVH

RELIQVA

DOMINO  
**ERNESTO DE STEINBERG**

DYNASTAE IN BODENBURG

RELIQVA

DOMINO  
PHILIPPO ADOLPHO  
L.B. DE MVNCHHAVSEN  
DYNASTAE IN STEINFVRTH

RELIQVA  
DOMINO  
CAROLO DIEDEN  
AD FVRSTENSTEIN  
DYNASTAE IN MADELVNGEN, FVRSTEN-  
STEIN WELLIGERODA

RELIQVA  
DOMINO  
OTTONI CHRISTIANO  
DE LENTHE  
DYNASTAE IN LENTHE, FELLER,  
WVNSDORF  
RELIQVA

VIRIS  
SVMMIS IN REGEM ET REMPVBLICAM MERITIS PARI-  
TER AC ANTIQVITATE GENERIS FVLGENTISSIMIS  
SALVTIS PVBLICAЕ AMPLIFICATORIBVS ET CVSTO-  
DIBVS VIGILANTISSIMIS  
PRVDENTIAE PARITER ATQVE IVSTITIAE GLORIA  
MAXIME CONSPICVIS  
BENIGNISSIMIS LITERARVM LITERATORVMQVE  
PROMOTORIBVS  
MAECENATIBVS AC PATRONIS SVIS INDVLGEN-  
TISSIMIS  
DEVOTISSIMO RELIGIONIS CVLTV DEVENERANDIS  
HASCE STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS  
IN ACADEMIA PATRIA COLLECTAS  
INTER LAETISSIMA PERPETVAE FELICITATIS  
AVGVRIA  
ATQVE RELIGIOSISSIMA VOTA] PRO INCONVSSA  
INCOLVMITATE NVNCVPATA  
EX SVMMA ANIMI SVBMISSIONE  
ET VERA PIETATE  
D. D. D.

ILLVSTRISSIMORVM NOMINVМ

DEBOTISSIMVS CVLTOR  
ERICVS DANIEL LIEBHABERV<sup>S</sup>  
HANNOVERANVS.



Q. D. B. V.  
**DISSERTATIO**  
DE  
**LEGATO PECVNIAE.**

II  
§. I.

**N**on mirum est, si testamenta commendationesque morientium, quae ex animorum affectione nascuntur, cauillationibus quam maxime sint obnoxiae. Nam et si etiam ab omnibus difficultatibus & disputationibus abstrahamus, in quas testamenta caeteraque ultimae voluntates tam ex omissione solennium, quam ex aliis quibuscumque causis incident; tamen illa affectio saepissime verbis testatoris, mortis cogitatione perturbata, tam dubiis effertur, ut ex illa sola facilis ad calumniandum oriatur occasio; dum quisque, prout ex hoc vel illo sensu verborum testatoris aliquid sperat, ipsa verba ad suas partes detorque-

A

re

2 DE LEGATO PECVNIAE.

re & fibi applicare laborat. Idque tum alias, tum maxime in legatis vñi venit. Hinc olim iam pro varietate verborum, quibus testatores, in legatis constituendis, vñi erant, Romani magnam inter legata faciebant differentiam, & varia exinde iura dabant legatariis, neque omnes res iisdem verbis legari permittebant, vt manifestum sit ex quatuor illis legatorum generibus, *Vindicationis*, *damnationis*, *sinendi modo* & *praceptionis* (a) quae a Iureconsultis disputatione fori inducta esse, existimant, & satis commode explicant HEINECCIVS (b), SCHVLTINGIVS (c), VINNIVS (d). Sicuti autem valde molestem est, testatores eiusmodi verbis solennibus adstringi, ita hanc solennitatem & subtilitatem abrogarunt imperatores & praecipue Iustinianus (e); qui sublata verborum solennitate omnibus legatis & fideicommissis vnam naturam esse, & magis ad ipsam voluntatem testatoris, & id quod actum est, quam ad subtilitatem verborum, respici voluit.

§. II.

Licet itaque testatores, formulis eiusmodi anxiis non amplius adstricti, legata libere nuncupare queant, nihil feciis interdum accidit, vt vel ipsa dictio quicquam obscuritatis habeat, vel coniunctio plurium legatariorum interpretes ultimarum voluntatum vexet, vel repetitio legatorum, quae vni eidemque personae pluribus locis testamenti dantur, rem dubiam faciat, num, si legatum sae-

(a) v. 1. §. 2. tit. de Legat.

(d) Comment. ad Inst. §. 2. de Legat. add. GAIUS Inst. L. II. Tit. V.

(b) Syntagm. Antiquit. Rom. L. II.

t. 20. §. 2. seqq.

de Legat. VLPIANI fragm. Tit. 24.

(c) Iurispr. Anselmus. p. 617.

(e) l. 1. C. Commun. de Legat. §. 2.

¶ 3. l. de Legat.

pius praestari queat, vti in quantitate legata, plura intelligantur legata, an vltum tantum. Huiusmodi questio[n]es dubias, in omnibus fere legatorum generibus obuias esse, quisque, non plane rerum imperitus, videt; sed in easdem per totum legatorum campum inquirere, ratio instituti & angusti dissertationis cancelli non patiuntur. Ideo, prout nobis propositum est, de legato pecuniae dem Geld-Berichtn[is], tantum tractabimus, & quid iuris in illo obtineat, si eiusmodi questio[n]es dubiae obueniant, neque de sensu testatoris satis constet, pro viribus ingenii nostri exiguis, examinabimus.

## VI.

## §. III.

Hic vero primo omnium, notionem vocum pecuniae & des Geldes, quid illa lingua Romana, haec autem vernacula nostra significet, eruere nostrum erit. Vox pecuniae sine dubio originem habet a pecude, vel quia ab initio Romanis omnis substantia constabat in pecore, ipsique pecudibus res permutare, ac postea pecunia eum in finem loco earundem vti solebant; vel quia primum aes notapecudum ab illis signatum erat (f). Significatus huius vocis iniure nostro Romano est vel generalissimus; omnia complectens, quae in patrimonio sunt, & ad pecuniam reduci possunt (g); vel generalis, & comprehendit ea tantum, quae pondere, numero & mensura constant, vti olim in actione de pecunia constituta (h); vel specialis, quo aes signatum denotat (i); quo vltimo tamen significatu, si pecuniam

(f) Add. ALEXANDER ab ALEXANDRO L. IV. C. 15. p. 218.

(g) l. 1. l. 178. l. 222. ff. de V. S.

(h) vid. l. 2. §. 1. C. de Constat. pecun. add. l. 2. §. 3. ff. de reb. cred.

(i) l. 7. §. 3. de SCIO Macedon.

cuniam accipiebat Romani, plerumque addebant voces numeratam, signatam (k). Vocem Germanicam, rectissime deriuabimus ab antiquo vocabulo *Gent*, Chalt, compensationem, aequalitatem & satisfactionem pro damno alterius, notante (l); nam admodum verisimile est, significatum hunc vocis: *Geld*; ad aet signatum, siquidem illud valorem & satisfactionem omnium fere rerum continet; translatum esse: Caeterum vox: *Geld* frequentiore significatu idem nobis est, quod Romanis pecunia in sensu speciali erat.

## §. IV.

Synonyma vocis pecuniae sunt numismata, nummi, in iure Romano tamen numismata potissimum accipiuntur de monetis rarioribus & solidis (m); nummi vero de monetis exiguioribus (n). Voci Germanicae *Geld* aequiparant vocabula *Baarschafft*, *Münze*: posterius inter alios quoque habet significatus etiam omnis generis monetas indigitat; sed rursus duobus specialibus significatis se distinguit a voce, *Geld*; nam modo collective visinpatitur pro nummis minutis (o), modo sigillatim pro moneta rariori, in memoriam

(k) *Cita. l. & l. 27. §. 4. ff. de aur. arg. leg. l. 32. pr. de adm. & transfer. leg.*

bulo *Gelt* compensationem danni inferente, & in foro antiquo Germanico ubique obuio deducimus.

(l) *Vid. WACHTER. Glossar. Germ. p. 551. 552: vox: Gelt, qui quidem p. 552. putat, extitisse antiquam vocem: Gelt; vices & quamlibet rem, quae cum alia commutatur, significantem; sed cum, ipso fatente, hic se fatus nusquam sit obuio; non video, quid obstet, quo minus a vocab.*

(m) *Vid. l. 28. ff. de usu fr. & quemadmodum quis utat. ffr. l. 27. §. 4. ff. de aur. arg. leg. l. i. C. de ret. numeris. pales.*

(n) *l. 75. ff. de Legat. III.*

(o) *Ordin. Polit. d. Anno 1577. §. 4. vers.*

## DE LEGATO PECVNIAE.

moriam rei alicuius causa, vel ex alia ratione chariori; quales monetae rariores nobis etiam sub nomine: Medaillen, Schau-Pfennige, rares Geld venire solent (p). Notione pecuniae eiusque synonymis, ex quibus saltet, qua moneta legatum pecuniae praestandum sit, intelligere licet, in genere iam explicatis, definitionem ipsius pecuniae ut stabiliamus, aequum est. Pecuniam vero definimus, quod fit metallum signatum valorem certum publice habens, ad quod aliae res aestimentur & commutentur.

### §. V.

Dixi valorem monetae esse debere certum; isque ex intentione eius, cuius auspicio illae percutiuntur, semper talis est, sed multum quoque pendet ab arbitrio ementium vendentium, & aliquando paululum mutari solet. Vt enim caeterae res sepe raritate & vsu necessario commendant, ita etiam valor huius vel illius monetae interdum crescit, si tanta eius copia obvia non sit, quanta mercantibus aliisque ad solutionem in ista moneta alibi praestandum, opus est. Idque toto die, praesertim in monetis grauoribus accidere, videmus. Iam porro cum legatum sit id, quod testator post mortem suam ab haerede suo alteri praestari legitime praecipit (q), legatum pecuniae erit legatum, quo testator post mortem suam, haeredem suum alteri pecuniam praestare, iubet. In legato pecuniae attendenda est potissimum quantitas & qualitas; Quantitas nobis est numerus nummorum definitus; per qualitatem

intelli-

verbis: Item, daß etliche Geld  
allein an Münz hinweggleichen, las-  
sen doch die Beschreibung auf  
Gold stellen.

(p) Add. IOACH. ERN. a  
BEYST Seicgraphia iuri: me-  
netandi C. I. §. 8.

(q) l. 116. pr. ff. de Legat. I. §. 1. Inf.  
de Legat.

B 2

intelligimus omnia ea, quibus monetae a se inuicem discernuntur.

### §. VI.

Vt igitur maiori ordine procedamus, & suo quaque loco, quae nobatu digna sunt intuitu legati pecuniae, digeramus, contemplabimur ante omnia dictiones in genero, quibus legatum pecuniae constituitur. Legatur autem vel certa quantitas & qualitas nummorum; & sic res est in mundo; nam haeres praefat quantitatem pecuniae legatam, in ea moneta, quam testator dixit; vel legatur pecunia, quantitate aut qualitate, aut vtraque non expressa, tunc vero res altioris est indaginis. Si igitur pecunia simpliciter sine mentione quantitatis & qualitatis legetur, omnis pecunia numerata debetur, quam testator in bonis reliquit; quod non solum expresse sancitum esse, mihi videtur in Iure romano (r); sed etiam ex legato tritici & peccoris indefinito, quo omne triticum, quod testator reliquit, & omnes pecudes, quas habuit, legasse praesumitur, facile colligere possumus (s). Ratio dispositionis illius haec est; Is, qui testamentum condit moriendum sibi esse recordatur; qui mortem cogitat, tunc temporis non iocari, sed omnia serio agere solet; ergo eius verba ambigua quoque ita sunt interpretanda, vt fini ipsius serio conueniant; iam vero legatum indefinitum potest intelligi vel de minimis,

(r) l. 27. §. 4. ff. de Aur. arg. mund.

Ec. verb.: si vero aurum vel argennum signatum legatum est, id pater familias videtur testamentum legasse, quod eius aliqua forma expressum: velut in quae Philippo

sunt: itemque numismata & similis.

(s) l. 7. ff. de Trit. vin. v. ol. leg. l. 65. §. 4. l. 66. ff. de Legat. III. Add. STRYCK. V. M. §. 1. Tit. de aur. arg.

ma, quale legatum, vtpote derisorium, de testatore serio testamentum condente, non praetulendum est; vel deinde legatum indefinitum ad omnia ea, quae testator sub isto nomine reliquit, applicari potest, & tum legatum sit vtile & effectum suum fortitur; quod cum fini testatoris magis consentaneum sit, illa interpretatio preferenda est, quae legatum validum efficit (*t*); adeoque, pecunia indefinite legata, non obolus, sed ea tota, quae post mortem testatoris in bonis eius reperitur, legata esse censetur.

## §. VII.

Neque obstat, quod (*u*) fundo indefinite siue in genere legato, legatum ioculare reputetur, & omni effectu ideo destituatur, quoniam ad rem minimam redigi potest; nam ibi ponitur testator, qui talem rem, quam in genere siue indefinite legauit, plane in bonis non habet; at nos disputauimus de testatore, qui pecuniam, quam indefinite legauit, reliquit & illam intelligere voluisse videri potest; deinde fundus indefinite legatus, est amplissimae extensionis & angustissimae restrictio-  
nis, adeoque maximam incertitudinem habet, vt ne vlo quidem probabili modo voluntatem testatoris diuina-  
re possimus, hinc quoque nulla interpretatione benigna,  
testatoris voluntas iuuari potest. Quod autem alias etiam  
in hoc casu obscurae testatoris voluntati subueniatur, mo-  
do res in genere vel indefinite legata, etiamsi talis in haec-  
citate non existat, aliquam certitudinem a natura con-  
tineat, & v. g. legatum equi in genere sustineatur, inter  
omnes constat (*x*).

## §. VIII.

(*t*) Add. l. 24. §. 25. ff. de reb. dub. (*x*) Vid. l. 13. l. 37. pr. & l. 84. §. 3. ff.

(*u*) l. 71. pr. l. 24. §. 3. ff. de Legat. l. de Leg. l.

## §. VIII.

Sicuti igitur, quae de legato pecuniae indefinito adduximus, expressis legibus & ipsa ratione naturali nituntur, ita valde miror, BRVNNEMANVM (y) aliosque hic aliter sentire, neque locum dare legato indefinito, nisi coniunctae personae destinatum sit. Nam nuspam id in iure nostro requiritur; neque argumentum ex eo trahi potest, quod (z) res aliena legata, quam testator suam credidit, non nisi coniunctae personae debeatur. Id enim ideo sanctum est, quod testator ita errans, coniunctae personae, propter affectionem & amorem naturalem, alias legasse confendus sit, cum econtrario erga extraneos non nisi de suis rebus liberalis, neque haeredem in eorum fauorem, praestatione rei alienae grauare voluisse videatur. Scilicet tota differentia harum dispositionum consistit in diuerlis conjecturis, quae vtrinque capiuntur. Legatum rei alienae non valet, quod testator rem alienam, si sciuisset, eam talem esse, extraneo legaturus non fuisse; neque est, quod in hac praesumtione, vtpote naturae & genio hominum conformi, desideres; sed legatum pecuniae infinitum, quoad pecuniam relictam, sustinetur, quia alias testatorem iocos agere voluisse conjectaremus, quod toti testamenti instituto contrariari, supra demonstratum est.

## §. IX.

Esi autem ostendimus, legatum pecuniae indefinitum pecuniam a testatore reliqtam comprehendere; tamen nouum suboritur dubium, num illud etiam numismata:

M<sup>ro</sup>

(y) Comm. in Pand. ad l. 7. ff. d. (z) l. 10. C. de Legas. ABBIA (1)  
trit. vin. vel. ol. leg. ABBIA (2)

## DE LEGATO PECVNIAE.

9

Medaillen, Schau-Stücke, Schau-Pfenninge &c. contineat. Equidem non ignoramus, numismata olim speciebus similia putata fuisse, & verum in iisdem usumfructum obtinuisse (a); ex quo forsitan aliqui in mentem venire posset, numismata ad res fungibles & pecuniam plane non pertinuisse. Enim vero, hoc non obstante, numismata sub legato pecuniae indefinito, intelligenda esse, affirmare nullus dubito, duplice ratione inductus; quoniam illud expresse in iure rom. constitutum reperio (b) & deinde pecunia omne aes signatum indigitat. Et licet Romani iisdem olim ornamenti causa usi sint, tamen una res pluribus inseruire potest usibus; unde etiam in ipso iure romano relatum legimus, numismata veterum, si debiti ponderis & probae speciei fuerint, in commercio certum valorem habuisse (c). Imo hodienum conspicimus, alios sedulo colligere monetas rariores, quas alii promiscue expendunt. Numismata ergo sunt species pecuniae & legato pecuniae indefinito, regulariter continetur; nisi defunctus collectionem numismatum, sub nomine eius Miniz Cabinet habuerit. Haec enim cum nouum nomen induat, ad aliud cumque a pecunia plane diuersum finem comparata fit; nam pecuniam expendendi & cum aliis rebus commutandi gratia habemus, collectio numismatum vero ad historiam illustrandam rerumque memoriam perpetuandam facit; ideo huiusmodi collectio, usum & finem pecuniae prorsus transgrediens, in separatam a pecunia spe-

(a) I. supra cit. 28. ff. de usu fr.

quod eius aliqua forma expressum est; veluti, quae Philippi sunt, itemque numismata & similia. frustra igitur STRYCK, V. Ma. §. 3. cit. tit. dissentit.

(b) Vid. I. 27. §. 4. ff. de aur. arg. verb. si vero aurum vel argentum signatum legatum est, id paternissimas videtur testamento legasse,

(c) tit. C. de vet. numism. por.

speciem abit, neque amplius legato pecuniae indefinito inest.

### §. X.

Considerauimus in genere, si legatum pecuniae indefinitum a quopiam detur, quid in illo computetur; transamus ergo ad nouam speciem, & videamus, quam late pateat legatum pecuniae indefinitum, si illud a nummulario sive collybista constituatur. Tunc vero omnis pecunia & proprio nummularii vsui & foerationi destinata, quae post mortem eius in haereditate reperitur, debebitur legatario. Nam vi legati pecuniae indefiniti, omnis pecunia debetur legatario, quae in bonis testatoris existit; ut supra perspeximus; iam vero nuspian exceptio ab hac regula, quoad collybistas inuenitur; ergo non est, cur a regula recedamus. In alia omnia quidem eunt DD. quidam (d), qui venale & quod ad negotiationem spectat, ad legatum generale & indefinitum pertinere, & sic v. g. tritico legato, venale deberi, negant. Verum leges, in quibus illi praescidium quaerunt, si eas recte inspicias, eorum causae plane non patrocinantur (e).

### §. XI.

(d) Vid. MULLER ad STRV  
S. I. C. tb. 52. lit. cc. n. II. lit. d.  
trit. vin. vel ol. leg. aliquique ibidem citati.

(e) prouocant ad l. 32. §. 2. de usu  
& usufr. leg. l. 79. §. 1. & l. 44.  
ff. de leg. III. Sed haec leges lo-  
quuntur de legato eorum, quae  
in loco quodam deprehendun-  
tur, vbi per se intelligi oportet;  
quae perpetuo ibidem, non

vero quae ad tempus, vt res  
venales, illic sunt; deinde addu-  
cunt l. 32. §. 4. de aur. arg. leg.  
Sed non aduertunt, ideo ibidem  
ornamentum venale non deberi,  
quod tastatrix legatum, per ad-  
iectionem vocabuli; meum; re-  
stringere voluerit ad id, quod  
proprii usus causa paratum ha-  
buit. Vnde etiam ICTI VI-  
tembergenses apud WERN-  
HER VM L. I. obs. 47. sub le-  
gato

## §. XL.

Aliud dicendum erit, si mensarius suam pecuniam numeratam, scire Baarschafft, leget, & pecuniam ad proprium vsum repositam habere solitus fuerit, tunc enim foeneratia non continebitur, nisi euidentis voluntas testatoris doceatur, quod illam quoque legato comprehendet. Nam in genere tenendum, quoties quis plures rei cuiusdam species, alias quidem proprii vsum gratia, alias vero venales possidet, & simpliciter suas legat; toties affectione vocabuli: suas; istas demonstrare voluisse creditur; quas ad proprium vsum habebat (f); hinc, qui venalitiam vitam exercet, & suos seruos legat, de venalibus non sensisse creditur; hinc mulier mercatrix, ornamentum suum legans, id tantum legasse censetur, quo ipsa vrebatur, non vero quod venale proponebat. Par modo pecunia foeneratitia & proprii vsum causa reposita, sibi opponuntur (g), ideoque numularius suam pecuniam legando, eam, quam ad proprium vsum reponebat, respxisse videtur.

## §. XII.

Hic non praeterendum est, num voculae: suum, meum; legato pecuniae adiectiones, ad tempus facti testamenti, an vero mortis referenda, & ex hoc vel illo quantitas legati moderanda sit. Cum fileant de hac re leges, mihi persuasum est, mortis tempus spectandum, & quae tum pecu-

gato vietus, ber Virtualien, pol. (f) l. 71, l. 73. §. 4. de Legat. III.  
lentam & cereviam quamvis 1. 32. §. 4. de aur. arg. leg.  
venalem adiudicare non dubi-  
tarunt.

(g) l. 70. §. 1. de Leg. III.

pecunia exstat in bonis defuncti, praestandam esse; nam primo morte demum perficitur testamentum, & cum hoc sciat testator, in legato pecuniae indefinito ad illud sine dubio respexit, ut per illud certo determinetur, & id quod restat post mortem praefetur; deinde, etiam si affirmare vellemus, voces; meam pecuniam: tempus testamenti conditi demonstrare, tamen pecunia perpetuae migrationi subiecta est, & de manu in manum transit, ut hac de causa difficillimum, imo fere impossibile sit legatario probatu, quantum pecuniae tum temporis testator possederit, cum nemini licet, saccos & scrinia eiusdem excutere; tertio sententiae nostrae maximum robur addit istud AFRICANI (h) assertum, quo, si decem, quae in arca habet, a testatore legata sint, ea deberi testatur, si mortis tempore plena summa adest. Quod si enim in legato decem, quae in arca sunt, quod corpus quodammodo certum habetur, mortis tempus attenditur, quanto magis in legato pecuniae indefinito, quod incertum est & testator in testamento determinare noluit, mortis tempus attendendum erit (i).

## §. XIII.

(h) l. 108, §. 10, de Legat. I.

(i) Consentit nobiscum BRUNN.

NEM. Comment. in Pand. ad l. 83. ff. de Leg. III. verb: Pronomen: meum, adiectum certo corpori & verbo presentis temporis, facit demonstrationem; si vero in certo corpori, ut vino, frumento facit taxationem, ut illud tantum intelligatur, quod suorum nomine habuerit. Sed rursum diffinire videtur cum aliis, c. l. ad l. 7. de aure arg. leg. verbis; unde

colligunt legatum simpliciter & indefinite prolatum ad tempus testamenti referri; Haec inconstantia BRUNNEMANNI autem ipsius legibus, ad quas commentatus est, nititur; nam si dicendum quod res est, ipsi Icti veteres in contrarias partes quoad hanc sententiam num pronomen: meum, testamenti an mortis tempus demonstrat, iusse videtur, si inter se leges, de hac materia agentes, conferamus. Nam in l. 7. ff. de aur.

arg.

## §. XIII.

**Caeterum sicuti ipsa notio pecuniae supra §. III. IV.**

*arg. leg. P A V L V S expresse contendit, praesens tempus se, testamenti intelligi, si quis suam vestem argenteum suum legaret; At idem commemorat in l. 9. cit. sit. PLAVTIVM provocare ad CASSIVM, aientem: hoc casu, non obstante verbo: mea; si non appareret, quid sensibet testatrix, omnem vestem secundum verba testamenti legatam videri; & cum PAVLVS in dicta l. s. magis aliorum opiniones recenscat, quam sibi contradicat, CVLACIVS Obseruat. L. X. C. XVII. vocem; meam; ex ista sine via ratione relegat; Porro PAPINIANVS l. 6. pr. de Legat. II. dicit, si quis familiam suam, sive vniuersam sive certam, veluti urbanam aut rusticam, legavit, illam augeri & minui posse, queque ad mortem, uti peculium. Huic adstipulatur SCAEVOLA l. 28. ff. de Inst. & Instrum. leg. qui ad propositam quaestio- nem: si quis fundum, uti est, instruclum leget, quoniam tempore fundus instruclus inspicieundus eset? responderet, illo tempore, quo legatum edict; & l. 10. de Leg. II. IAVOLENVS asserit, id quod fundo legato postea adieclum sit, legato cedero. Ex quibus satie,*

*opinor, dissensus veterum ICtorum in hac causa eluceat; neque hunc tollamus distinctumcula illa, inter rem vniuersam & singularem legatam, quam BRVNNEMANVS ad l. 7. ff. de aur. arg. leg. protulit; Nam ubi, quaclo, in c. LL. haec distinctione fundata est? vbi res vniuersa habetur fundus, de quo in l. 10. de Legat. II. & si fundum instruclum, sive mobilia, quibus fundus instruitur, pro re vniuersa habere libeat, nonne vestes, in quibus iuxta cit. l. 7. tempus testamenti spectari debet, cum illae mutentur, augentur, minuantur, aequali iure in rebus vniuersis numerandas erunt? taceo alias leges, hunc dissensum arguentes, quo pertinent l. 17. §. 1. de Legat. I. l. 19. ff. de reb. dub. aliacque plures. Id vnicum moneo, alios ICtorum veterum meliori iure, vocem: meum, legato generis adieclam; pro demonstratione rerum, testatoris vni inferuentium, quam temporis, reputasse, nisi futuro tempori adieciatur; tum enim conditionem facere videtur; quod latius explicat POMPONIVS l. 85. de Legat. III. & l. 10. de aur. arg. leg.*

euoluta, manifestat, quod ea tantum ipsum aes signatum  
hoc loco denotet; & vti vox Germanica Geld, vsu vulgari  
& proprio latius haud sumitur, ita nullum dubium est,  
qua legatum pecuniae indefinitum hodie ad actiones &  
nomine extendi nequeat. In eo quidem omnes ferme  
DD. habemus consentientes, quod legato der Baarschaft,  
non annumerandae sint fortes, foenori elocatae aliaque no-  
mina actiua; ex quibus NOBILEM DE BERGER (k),  
STRYKIVM (l), CARPZOVIVM (m) allegasse sufficiet;  
Verum ex communi & proprio vsu loquendi nulla est dif-  
ferentia inter Geld, baar Geld & Baarschaft. Taceo, testa-  
torem, qui de pecunia sua & de cacteris rebus seorsim  
disponit, necessario accipiendum esse de pecunia numera-  
ta, etiam si vox pecuniae apud nos, vti tamen dici nequit,  
aliquid obscuritatis haberet, vel amplioris significatus  
esset.

#### §. XIV.

Si quantitas pecuniae in legato determinata, sed qua-  
litas non est expresa, vt non constet in qua moneta solui  
debeat legatum; varia nos commouere possunt, quam mo-  
netam intellexerit testator; vt sunt confuetudo patris, fami-  
lias, regionis, in qua ille versatus est, legatarii dignitas &  
charitas & necessitudo; Item earum, quae praecedunt, vel  
quae sequuntur, sumarum scriptura (n). Quod si nihil  
horam

(k) Ocean. iur. L. II. t. IV. §. 27.

Banco legatum sit, dubio caret;

not. 10. in clausis i. ducatis

Vid. l. 77. §. 16. ff. de Legat. II.

minimi autem prout indecens

talis enim legatarius & mensae

(l) V. M. tit. de aur. arg. leg. §. 3.

pecuniam capit, & nomina acti-

uas & passiva, ad mensam spe-

ctantia, suscipere tenetur.

(m) P. III. Constit. 13. Defini. 34.

Nomina vero & comprehendi,

si totum mensae negotium die

(n) Vid. l. 50. §. 3. de Legat. I.

horum mentem testatoris prodat, receptum esse dicitur (o), ut exiguiores praestentur. Cum etiam per saepe accidat, ut pecunia in certa moneta legata, valor eiusdem mutetur, non alienum erit, hic exponere, quid iuris sit, monetae valore, post testamentum conditum mutato. Sed vti testatoris voluntas semper pro lege est, ita in re dubia coniectandum est, quid ille senserit. Testator autem legatum in certa moneta relinquens, sine dubio valorem quoque eiusdem praesentem, quippe futurae mutationis ignarus, respexit, adeoque post mortem tantum praestandum est in alia moneta, quantum habuisset legatarius, si moneta, in qua legatum datum est, mutata non fuisset; idque non solum rationi sed etiam iuri romano conforme est & calculo DD. approbatur (p). Haec ita erunt, si mentio monetae legato pecuniae generatim & demonstrationis causa adiecta sit. Verum vbi certus nummorum numerus per modum specierum, v. g. centum qui hoc vel illo anno & hac vel illa forma signati sunt, legatario destinentur a testatore, tunc vero hos solum nulla ratione valoris aucti vel imminuti habita, deberi existimo; siquidem testator in isto legato non tam valorem pecuniae, quam ipsas species spectauerit.

## §. XV.

(o) l. 75, ff. de Legat. III.

(p) Vid. l. o. l. 35. l. 1. §. 1. ff. de aur. arg. leg. add. CARPOZO. P. II. C. 25. Def. s. n. s. in genere nos in qualibet moneta, qua in commercio vtimur, aestimationem & valorem eius, quem in relatione ad alias monetas &

ad res ipsas continet, potissimum spectare, tenendum est. Vnde facile diuidatur, quid praestandum sit, si eo intervallo, quod a testamenti factione ad mortem, vel a contractu ad tempus solutionis usque, intercedit, valor augeatur aut minatur.

## §. XV.

Quodsi, quantum ad mentionem quantitatis vel qualitatis attinet, nihil in legato pecuniae desideretur, sed omnia plana sint; aliunde varia accidere queunt, quae nos de vero sensu legati pecuniae dubitare faciunt. Huc pertinet, si ratio, pecuniam ad solutionem legati, conquiriendi, a testatore praescripta, & v. g. certa quantitas a testatore ex reditu praediorum futuri anni legata sit. Alias enim in fructibus ex fundo legatis distingui nouimus, num fundus restrictus an demonstratiue adiectus sit legato fructuum, ita, ut hoc casu simpliciter quantitas fructuum praestanda sit, illo vero tum denum, si tantum nascitur, quantum legatum est, eaque distinctio in legato pecuniae ex certo praediorum reditu soluendo, similiter adhibenda esse videtur; Enim vero illa distinctione carere possumus in hoc legato; nam testator, certam summam legans, & deinde disponens, ut ex reditu praediorum futuri anni soluatur, tempus solutionis solum proferre voluisse credendum est, non vero conditionem addere, ac si summa legata a reditu praediorum dependeret; eaque pecunia ita legata, debetur, etiamsi fructus ad modum pecuniae legatae perceptae haud fuerint (q). Neque a legato fructuum ad legatum pecuniae ex redutibus soluendae valet consequentia; nam fructus nascuntur in fundo; adeoque ibidem conditionem testator interdum animo concipere potest, si tantum natum fuerit; at pecunia non crescit in fundo, & hanc ob causam illam conditionem testator in legato pecuniae animo concipere nequit, sed ille reditum praediorum sibi potius, ut remedium solutionem procurandi representare, & tempus solutionis determinare voluisse intellegitur.

## §. XVI.

(q) l. 26. pr. quaud. dier. leg. cec.

## §. XVI.

Saepiuscule etiam ultima testatoris voluntas ambigua relinquitur, quod diuersae quantitates coniungantur vel per praepositionem: *cum*; vel per coniunctionem disiunctivam: *vel*; & quod denique plures quantitates simpliciter in diuersis testamenti locis legentur. Hinc ergo notandum, si legatum ita constituatur; cum ducentis, quae apud Titum depositi, trecenta ipsi lego; quod tum particula illa cum; idem inferat, ac praepositio praeter; adeoque duas summas separatas demonstret, ita, ut quingenta debeantur (r), si vero sub coniunctione disiunctiva, plures quantitates in uno eodemque testamenti loco, eidem personae legentur, v. g. decem aut quindecim tunc videndum ad quem verba directa, & cui optio sive electio data sit, haeredi, an legatario. Datur autem electio vel expresse; si alteri electio expresse verbis a testatore permissa sit; vel tacite si testator eiusmodi verbis usus est, quae implice alteri electionem deferant. Vnde si testator haeredem decem vel quindecim legatario dare iussit, ipsi haeredi competit electio (s). Contra si dixerit: legatarias sibi habeto hoc vel illud; huic electio competit (t); quod etiam tum dicendum est, si verba testatoris sint dubia neque de optione expresse vel tacite data, constet (u), quoniam ultimae voluntates plenius sunt interpretandae (x).

## §. XVII.

Plures autem quantitates in diuersis testamenti locis relinquuntur.

(r) l. 13. pr. de reb. dub.

(u) Vid. l. 23. de Legat. II. Add.  
VLPIANVS tit. 24. §. 14.

(s) l. 43. §. 3. de Legat. II.

(t) l. 34. §. 14. de Legat. I.

(x) l. 22. de reg. Inv.

relinqui possunt variis modis; ideoque notamus, si eadem summa saepius in testamento & a diuersis haeredibus legetur; eam toties peti posse, quoties legata est (y). Cum enim ex eo, quod eadem summa saepius a diuersis haeredibus eidem legatario data sit, neque error neque voluntas adimendi priora legata, colligi queat, nulla ratio patet, cur aliud disponatur. Vbi vero eadem summa in diuersis testamenti locis, eidem legatario, ab eodem haerede saepius relinquitur, mentione priorum non iniecta, tunc semel tantum praestatur, nisi euidentissimi probationibus ostendatur, testatore legatum multiplicare voluisse (z). Rationem huius legis in eo sitam esse, arbitror, quod testator, mortis cogitatione perturbatus, facile errare possit, & mentionem eorum, quae antea disposuit, haud faciens, immemor praecedentium haberi debeat, adeoque si priora in mentem reuocasset, eandem summam saepius legare voluisse, haud censendus fit.

### §. XVIII.

Ex quo & illud fluit, quod diuersis quantitatibus eidem, ab eodem haerede, in eodem testamento, legatis, si priores non sint repetitae, prima tantum debeatur (a). Cum enim testator, eandem summam saepius legans, illam semel tantum, nisi de contraria voluntate constet, legare voluisse, & si priorum elogiorum oblitus non fuisset, posteriora haud fecisse, adeoque ex defectu memoriae & errore, eandem summam saepius repetuisse credatur, sequitur vltro, summam infra legatam, neque pro multiplicatione, neque pro mutatione prioris legati haberi posse. Vnde hacredi incumbit probare, si primo centum deinde quin.

(y) l. 44. §. 1. de Legat. II.

(a) a. l. 5. ff. de adim. vel transfer. leg.

(z) l. 34. §. 3. ff. de Legat.

quinquaginta legentur, testatorem voluntatem suam mutasse & minorem summam pro maiori substituere voluisse; contra ea legatario probatio imponenda est si primo minor summa legetur, deinde alia maior, isque maiorem petat. Neque obstat, quod alias (b) vltima testatoris voluntas in legatis etiam seruanda esse dicatur; id enim intelligendum est de voluntate nouissima eaque clara, per quam prior tollatur, non vero si ambigua & incerta, mutationem voluntatis evidenter haud indicet.

### §. XIX.

In aprico est igitur, quantitatem in testamento saepius legatam semel duntaxat peti posse; At sicuti in Iure nostro nulla fere regula sine exceptione datur, minima quippe circumstantia totam rem variante; ita haec omnia secus se habent, si legatarius duas diuersas proferat scripturas; & v. g. 100. in testamento, deinde totidem in codicillis legentur; quo facto multiplicata esse intelligitur quantitas & sic 200. haeres praestare debet (c); quando enim testator per codicillos supplere solet, quod testamento deesse putat, eundem hac noua summa, quam legatario in codicillis adscriptis, legatum in testamento relictum, augere voluisse, probabile est. Alia exceptio est, si cui certa summa sub speciali nomine, deinde alia sub generali legetur; v. g. si de fonte baptismi suscepto, & nomine speciali appellato 100. in testamento dentur, deinde infra quibuscumque suscepitis, qui legitimum huius rei testimonium asserunt, 50. legentur, illi duo legata, nempe 150. debentur

(b) *I. s. §. 2. de adim vel transfer.* (c) *I. 12. ff. d. probat. add. WERNER Legat.*

*HER Vol. 1. Obj. 202. I. 27. pr. de legat. III.*

D

tur (d); nam sic testator id velle videtur, vt is, quem nominatim compellauit, 100. prae caeteris, quibus singulis generatim 50. legauit, praecipios habeat.

### §. XX.

Si testator plus vel minus legatario adscripsit in testamento, quam in animo ipsi erat legare, tantum debetur, quantum legare voluit; siquidem in negotiis testamentariis omnia ad ipsam testatoris voluntatem redire, plus semel iam inculcatum est (e). Et quamvis difficillimum sit probatu, testatorem aliter sensisse, aliter scripsisse in testamento; tamen & ipse contextus scripturae & aliae circumstantiae mentem testatoris aliquando aperiunt; quo in primis pertinet, si primo certam summam litteris perscripsit, deinde aliam notis vel numeris exprimit; tanc enim id quod integris literis scriptum est, praeualeat, quia scribens errorem facilius committit in notis quam in integris verbis (f).

### §. XXI.

Diximus §. XVII. testatore diuersas quantitates in testamento, absque mentione priorum, legante, vnam tantummodo deberi; iam vero fieri potest, vt testator expresse hanc legem adiciat, vt semel tantum debetur, si forsan bis aliqui legasset. Hic vero probe distinguendum puto, num specialiter legatario quaedam legata admota sint; v. g. quod Titio infra legauero; id neque do neque lego; tunc enim legata infra data, non deberi, extra du-

bium

(d) Quem in modum Icti Vitembergenenses apud WERNHERVM P. I. Ennunciat. 75. respon- derunt.

(e) Vidi. I. 9. §. 2. 3. 4. de haeredi- infir. I. 35. pr. de legato I.

(f) cit. I. 9. §. 4. de haered. infir.

bium est, cum hoc modo euidentissima sit testatoris voluntas, & legata, postea scribenda, quoque adimi queant (g) neque obstat, quod vltima testatoris voluntas seruanda sit; nam id verum est; si testator priorem voluntatem correxisse & mutasse, apparet, quod hic dici nequit. Vbi vero testator in genere dixit; si cui bis vel saepius legauero, semel praefesti volo; vnam tantum & quidem minorem summam legatarium petere posse, iura Romana constituant (h). Rationem si perscrutemur, non aliam inueniemus, atque eam, quod verba: praefesti volo; ad haeredem directa, eidem arbitrium eligendi, quam summam dare velit, tacite conferant; contra ea, si legatario electio vel expresse vel tacite committatur, eundem ex pluribus summis eligere posse, nullus dubito; conferatur hic §. XVI.

### §. XXII.

Tractauimus hic usque de quantitate in genere & absque certo fine relicta; iam quedam delibemus ex legato pecuniae ad certum finem, in quem pecunia impendatur, dato. Finis autem iste respicit vel solam legatarii utilitatem, veluti legatum ad alimenta, ad conseruationem viae: vel continet factum a legatario praefustum, quod legatum sub modo dicere solemus, & passim in compendiis iuris explicatur. Illud igitur legatum quod attinet; testator vel annuam quantitatem, ei rei impendendam determinavit, quo facto res iterum difficultate caret; vel vnam tantum summam huic rei destinavit, vel plane nullam. Si illud, summam v. g. ad alimenta, in tutelam viae &c. legatam, legatario quidem acquiri, sed auctoritate iudicis, idoneis nominibus collocandam, & usurpas an-

(g) Vid. l. 12, §. 3. de Legat. I.

(h) Vid. l. 14, de Legat. L

nuas in alimenta insuviendas esse, existimo (i). Si vero certam summam eiusmodi legato v. g. ad viam, testator non adscripsit, tantam summam legare voluisse creditur, quanta ei rei sufficit (k). Idque sequitur ex principio supra stabilito, quod testator omnia serio agere in testamento, neque iocari potetur, eamque ob causam voluntas eius obscure declarata, benigna interpretatione iuuanda sit. Iam vero nihil naturalius & menti testatoris conformius est, quam si quantitas, quam testator non expressit, pro ratione sumtuum, qui ad viam tuendam quotannis requiruntur, definiatur, certaque fors constituatur, ex cuius vñris via resarciri queat.

### §. XXIII.

Pariter res sese habet, si ad alimenta pecunia alicui legetur, non adiecta certa quantitate pecuniae. Hic enim, si testator certam summam viuis praestare non solebat, de qua alias sensisse putatur, ex facultatibus defuncti, pro caritate, dignitate ac aetate eius, cui fidei commissum relictum est, arbitrio iudicis certa summa statuetur, ne legatum

(i) Vid. l. 89. pr. ad Leg. Falcid. & l. 4. de alim. vel. cib. leg. Equidem fateor, nupiam in legibus ipsam summam, quae alieni ad alimenta legatur, ipsi legatario expesse adiudicari; verum recte illud colligi poterit primo ex eo, quod cit. l. 4. fundus ad alimenta legatus, in dominium legatarii transire dicitur; deinde in cit. l. 89. ipsa summa Falciidae sublicitur; iam vero, si ibidem non poneatur, ipsam

summam legatario acquireti, non de hac, sed de vñris annuis, computatis scilicet annis secundum l. 68. ad Leg. Falc. Falcidam detrahenda esset; tertio non opus erat in cit. l. 89. curam Praetori iniungi, vt idoneis nominibus collocaret pecuniam, si illa ad haeredem rediret, sed sufficeret, pecuniam eidem relinquere & cautionem de vñris soluendis exigi.

(k) Vid. l. 30. ff. de Legat. 18.

tum sit frustaneum (l). In eo vero recedit legatum pecuniae ad alimenta reliquum, a legato pecuniae simplici, quod pluribus iisque diuersis quantitatibus in testamento ad alimenta legatis, vna tantum & quidem ultima summa praestanda sit (m). Ex §. XVIII. patet, ex diuersis summis in testamento datis, primam exigi posse, & §. XIX. diximus, si plures quantitates in diuersis scripturis legentur, omnes deberi, aequae ac si duas summae, altera sub speciali nomine, altera autem sub generali relinquatur. At haec omnia fecus sunt in legato diuersarum summarum ad alimenta. Nam primo alimenta iterari non debent, quia pro pluribus edere velle prodigio simile est; ideo semel tantum in dubio debentur, et si laepius in diuersis scripturis legata sint; deinde ultima tantum summa, sive alicui speciatim, sive primo sub speciali & deinde generali nomine laepius in testamento dentur, e.g. si primo Tito liberto menstrui decem, & alio loco, omnibus libertis menstrui septem legentur; hi tantum recte petuntur, quoniam testator eadem omnibus eiusdem conditionis hominibus alimenta sufficere, adeoque omnes ratione alimentorum in fine testamenti exaequare voluisse censetur (n). Quac haec tenus differuimus de legato ad ali-

(l) Vid. l. 22. pr. de alimi. vel cib.  
leg. l. 14. de ann. leg.

(m) l. 18. pr. ff. de alimi. vel cibar.  
legat.

(n) Neque obstat l. 20. pr. de alimi.  
vel cib. Legat. Vbi Stichus ma-  
sumittitur in testamento, si que  
decem aurei anni adiudican-  
tur, quos ipsi testator legauit;  
et si testator infra libertis omni-  
bus, quae viuis praestabat, da-  
si iussit. Nam in hæc lege

Stichus sub eo legato, quo testa-  
tor ea, quae viuis libertis suis  
praefabat, comprehendendi nequit,  
quia Stichus tum temporis liber-  
tus nondum erat; quam distin-  
ctionem ipsa ratio cit. l. 18. & 20.  
quæ eundem auctorem SCAE-  
VOLAM habent, qui sibi non  
contradicere praesumendus est,  
aperte suadet. Qui plura de fe-  
gato alimentorum scire cupit,  
adeat MENOCHIVM L. IV.  
Præsumpt. 157, 158.

alimenta sine determinatione summae relicto, ad sumptus studiorum aliaque huius generis, sine certa quantitate legata, commode applicari queunt.

### §. XXIV.

In legato annuae summae autem probe distinguendum, num annua quantitas simpliciter, an maior summa detur, & singulis annis certa eiusdem pars solui iubeatur; nam tale legatum non tam ad alimenta relictum, quam summa legata in diuersos terminos, vt facilior haeredi solutio redderetur, diuisa videtur (o). Huc pertinet exemplum, si triginta forte, iisque annua, bima, trima die, zu drey verschiedenen Jahren zu bezahlen, legati sint; In hoc enim legato sat manifestum est, testatorem triginta dari, & singulis annis denos solui voluisse (p). Quod tunc quoque locum habet, si testator trima die, innerhalb drey Jahren, haeredem triginta soluere iussit; nam hoc perinde accipiendum est, ac si dixisset: annua, bima, trima die haeres triginta dato; & testator compendium verborum fecisse intelligitur (q). Si autem testator certam summam leget, eamque diuersis temporibus, pensionibus a legatario statutis, solui cupiat, legatarius non statim totum petere potest (r). Sed pensiones ita statuere debet, vt simil rationem haereditatis habeat, & in genere boni viri arbitrio se accommodet (s). Interdum accidit, vt testator, quoad summa legata praesletur ab haerede, interea viuras sol-

(o) l. 20. ff. quand. dies legat. o.

(p) l. 3. pr. de ann. leg.

(q) cit. leg. §. 5.

(r) cit. l. §. 4.

(s) Quoties enim in arbitrium alienius quid confertur in ultimis voluntatibus vel bona fidei iudicis, hoc pro boni viri arbitrio habendum est. l. 1. §. 1. de Legat. l. 1. 22. §. 1. de reg. lura

ui iubeat; vnde quaeritur, quatenus legatum in usuris valeat, & num illae modum legitimum excedere queant? id quod in iure nostro romano negatur, quia testator iura publica mutare nequit, atque adeo certam sumnam, post aliquot annos soluendam, & quoad illa soluetur, usuras haeredi imperans, leges quoque, certum usurarum modum constituentes, feruare debet (t).

### §. XXV.

Naturam legati pecuniae ad alimenta, quodammodo imitatur legatum pecuniae, quod homini prodigo & rem familiarem minus tuenti relictum est, & post certum temporis spatium solui iubetur. Nam sicuti alimenta minutatim, singulis annis vel mensibus, prout relicta sunt, neque una vice in totam alendi vitam solui debent; ita legatum pecuniae, si propter personam capientis & vt ipse prospiciatur, relictum sit, ante tempus a testatore praeslitutum, solui non debet, nisi haeres iterum soluere velit (u). Contra ea si tempus solutionis legati haeredis causa, vt ipse commodum medii temporis sentiret, prorogatum sit, sine dubio haeres liberatur, ante tempus soluens, siquidem plus praestet, quam debeat (x). Quae adhuc disputauimus, pertinent ad legatum pecuniae, vni personae datum, iam videndum erit, quid iura nostra praecipient de legato pecuniae, pluribus personis una dato.

### §. XXVI.

(t) ois. l. 3. §. 6. ff. de ann. legat. hoc tamen non eo extendendum est, si ad moram haeredis coherendam, in poenam retardatae solutionis, usuras solitis maiores praestare iubeat; quod testa-

torem facere posse, solide ostendit ILL. LEYSERVUS spec. 396. Medit. 4.

(u) l. 15. de ann. legat.

(x) cit. l.

## §. XXVI.

Pluribus eadem re a restatore legata, coniunctio adelfe dicitur (y); hisque competit ius accrescendi, siue facultas portionem coniuncti deficientis acquirendi (z). Rationem iuris accrescendi vulgo ponunt in praesumta testatoris voluntate, quod is collegatariis p[re]haerede, quoad rem legatam, favere, adeoque uno deficiente, alterum potius totam rem, quam haeredem partem eius habere, voluerit. Sed, quantum ego video, haec ratio admodum est insufficiens; liquidem in quantitate pluribus personis nominatim & coniunctim legata, eadem praesumta locum habet, neque eo magis ius accrescendi expresse reicitur (a). Alia igitur huius rei ratio quaerenda erit, quae mihi in eo confitetur, quod plures ad eandem rem sive speciem vocati, eam inter se dividere, tacite a testatore iubeantur; iam vero uno deficiente, alter coniunctus non habet eum, quoem diuidere rem iussus est; ergo totam sibi retinet (b); At vero quantitas sola enumeratione personarum satis diuiditur, ac semel ita diuisa, constituit plures summas separatas ac aequales, quarum una pars alterius haberi nequit, vt itaque nihil opus sit,

(y) Vid. l. 89. de Legat. III. l. 16. de legat. I. l. 142. de V. S.

(z) cit. II. & l. 4. l. 89. de legat. III. add. l. vn. §. 10. 11. de caduc. toll.

(a) Vid. l. 34. §. 9. de legat. I. l. 7. l. 89. §. 2. de legat. II. l. 16. de condit. & demonstr.

(b) Huc inclinat etiam ipse Imperator IVSTINIANVS.

un. C. de Caduc. toll. §. 11. verbis: si[ne] vero nemo aliis veniat vel venire potuerit; tunc non vacuatur pars, quae deficit, nec aliis accrescit, ut eius, qui primus acceptit, legatum augere videatur, sed apud ipsum, qui habet, solidia remaneat; nullius concursu diminuta. Et quamquam id de re coniunctis tantum sanctum esse videatur, tamen perinde quadrat ad omnem coniunctionem.

collegatarios ipsos quantitatem inter se diuidere; sed quisque suam sumiam accipit, & hac de causa unus alterius deficientis summam sibi arrogare nequit.

### §. XXVII.

Ex his satis patet, in quantitate pluribus legata, cessare ius accrescendi, & cur veteres ICti ius illud a legato quantitatis alienum putauerint. Nouum vero dubium mouet **IVLIANVS** (c) qui contendit, non quidem ius accrescendi ac coniunctionem in quantitate, pluribus legata, induci, sed singulis tantam summam deberi, quanta duobus vel pluribus data est; hinc, *si quis testamento suo, inquit, Titio & Seio decem dari inferit, nullam haec verba recipiunt ambiguatem, ut dena dixisse videatur, qui decem dixit.* Huic autem totidem verbis contra dicere videtur **P A V L U S** (d) qui afferit: *Si Titio & ei, qui capere non potest, decem legata sunt; quinque sola Titio dari.* Huiusque sententia non solum aliis legibus fulcitur (e) sed etiam regulis bonae interpretationis & genio latinae linguae magis conuenit; quoniam si testator singulis decem dari voluisse, clariss & per numeralia distribuita, ut ita cum Grammatica loquar, exprimendum fuisse.

### §. XXVIII.

Sicuti autem §. XXVI. satis dilucide euicimus, secundum regulam, ius accrescendi in legato quantitatis exulare, ita haec regula pro circumstantiis obuenientibus temperent-

(c) l. 70. de Legat. I. v. 8. 517.

(e) Confer. II. supra cit. 54. §. 9. de Legat. I. l. 89. §. 2. de legat. II. l. 50.

(d) l. 7. de Legat. II.



peranda, & aliquando iuri accrescendi in legato pecuniae locus dandus est. Huc referrimus, si pluribus collectiue, absque personarum enumeratione, certa summa legata est (f). Cum enim hic personae non enumerentur, neque diuisio summae legatae a testatore facta, dici potest; quin potius ille id sensisse videtur, vt qui post mortem suam superflites sint ex his, quos nomine collectiue comprehendit, legatum habeant (g). Idem ius accrescendi, admittunt si singulis certa quantitas legetur, iisque postea in integra summa coniungantur, v. g. duobus fratribus & sorori, singulis mille legatis, atque clausula adiecta, gestalt ich dem ihnen insgesamt hiermit solche 3000. legire; quoniam testator tantam summam vel ad omnes vel ad superflites peruenire voluisse censendus est (h). Ita quoque arbitratur VALENS (i): si duobus certa summa, alteri quidem simpliciter, alteri vero sub conditione legatur; quippe qui, conditione non impleta, alteri totum legatum adiudicat; forsan propterea, quod hic personarum commemoratione quantitas non simpliciter, sed conditionate diuisa est, ad-eoque conditione non eueniente, plane non diuisa intelligi potest.

### §. XXIX.

His denique illud exemplum addere solent, quo quantitas legata ad modum corporis & speciei est redacta. Dicitur autem pecunia ad modum corporis & speciei redacta, quae certo loco circumscripta, ab omnibus aliis rebus distinguiri potest, vti corpus & species, v. g. centum, quos in asta habeant. Et si autem, quantum scio, legato pecuniae ad

(f) I. 15. §. 11. de Legat. 2.

(g) Confer. L. 19. ff. de reb. dub.

(h) Vid. BRVNNEMANNVS

Cent. 1. Dec. 21.

(i) I. 16. de Legat. III.

ad modum speciei relictio, ius accrescendi neque attribuitur in legibus nostris, neque ab illo remoueatur, tamen huiusmodi legatum exemplo cuiuslibet corporis aestimari, docemur (k). Ergo etiam ius accrescendi huic legato pariter cum legato corporis sive speciei tribuendum erit. At illud hic probe obseruandum est, non omne legatum pecuniae cum demonstratione loci, relictum, constituere legatum ad modum corporis vel speciei datum. Nam & loci mentio solum fiat in verbis executionis, i. e. talibus, quibus non tam ipsa legati constitutio, quam potius demonstratio loci, ex quo pecunia ad solutionem desumatur, continetur; v. g. si testator dixerit: Titio quadringentos lego, quos illi haeres ex pecunia, quam in arca habeo, soluet; tunc legatum pecuniae amittit similitudinem legati corporis, vel speciei; quia testator primo pecuniam simpliciter dari voluit, & postea locum tantum demonstrat, vnde sine incommmodo pecunia sumi possit; & hac de causa cessat hoc casu ius accrescendi, & quantitas simpliciter debetur, et si nihil in loco demonstrato repentiatur (l).

### §. XXX.

Explicata iam satis natura ac ratione legati pecuniae, quaedam de solutione, vsuris & actione ad illud consequendum prodita, addere placet. Solui itaque potest legatum pecuniae statim post aditam haereditatem & quidem soli legatario, si liberam rerum suarum administrationem habeat; nisi testator inopiae legatarii consuli, eique de alimentis prospici voluerit. Tale igitur legatum vna vice, certe sine praetoris auctoritate, non est facile persolendum (m). Quod si tamen dilapidatio bonorum & egestas lega-

(k) l. 34. § 4. l. 51. l. 108. § 10. d. leg. I.  
(l) l. 96 pr. de legat. I.

(m) l. 89. pr. ad Leg. falcid. confer.  
supra § XXII. & XXV.

## 30 DE ALEGATO PECVNIAE.

legatarii non sit timenda, tuto legatum pecuniae ad alimenta exsolui potest; hinc si is, qui alimenta debet, rem immobilem, aestimationem eorum aequantem, ad alimenta leget, haeres quoque rem legatam praestet, hic obligatione liberatur, eumque, cui alimenta debebantur, denuo agentem exceptione doli repellere potest (n), sine dubio hac de causa, quoniam res immobilis non tam lubrica est, quam pecunia, neque tam facile desperditur, sed per hanc, legatarii egestati satis prospicitur; hinc porro pecunia locupleti & bonae frugis homini ad alimenta legata, tuto persoluitur; nam vterque de alimentis non pendet, sed locuples plane carere posset hoc legato, alter vero, qui bona frugis est, maius emolumumentum ex pecunia in usum suum vel artem, quam forte callebat, conuersa, percipere potest, quam si elocaretur (o).

## §. XXXI.

Quando legatum pecuniae solui queat, cognouimus; quando autem solui debeat, iam contemplabimur. Nimirum annuae vel menstruae summae, quia ad alimenta destinatae sunt, statim ab initio anni vel mensis, ut alia legata annua vel menstrua, praestandae veniant (p). Alias vero testator vel certum diem & tempus dixit solutioni pecuniae legatae; & sic haeres solutionem retardans, a lapsu istius diei vel temporis in mora esse intelligitur, & interesse vel saltem usuras praestare debet, nulla licet interpolatione interueniente, quia semper dies pro homine interpellat (q); vel testator nullum certum tempus cum praestatione

(n) L. 22. §. 1. de aliz. vel cib. leg.

(o) Add. DVARENVS Dijpar.

z t. anniv. L. 1. c. 44. MENO-

CHIVS L. III. Pr. 131. [n. 22. &amp;

L. IV. Pr. 113. ss. 25.

(p) L. 1. 4. 8. L. 22. de ann. &amp;c. mensis, legat.

(q) L. 12. C. de contr. &amp; committ. flau- pular. L. 114. ff. ds V. O. add. iii- fra §. 34.

tione legati pecuniae coniunxit. Quō facto mora non inducitur, nisi interpellatione vel iudicali (r) quae olim litis contestatione contingebat, hodie vero insinuatione primae citationis contingit (s); vel extrajudicali (t). Duas vero a regula hic posita plerumque faciunt exceptiones: prima est, si haeres non sciat solum, pecuniam legatam esse, sed praeuideat quoque, legatum agnatumiri, nihilominus tamen legatum celet (u) tunc enim, quia in dolo versatur, ex quo nemo lucrum sentiat, statim ab adita haereditate, siue a tempore scientiae, haeres ad usuras tenetur.

### §. XXXII.

Altera exceptio attingit legata piis causis data, quibus usuras a tempore mortis legantis, tantum non omnes DD. addicunt (x). At quantum ego perspicere possum, in legibus haec praerogativa prae aliis, legatis piis tam simpliciter non tribuitur. Cui ipsa legum verba, ad quas illi prouocant (y), inspicere libet, is facile huius rei conuinetur. Nam altera lege (z) Imperator IVSTINIANVS diuerios terminos

(r) L. x. l. 4. C. de usur. & fruct. leg.

facies & confer. NOB. DE BERGER cit. loc. & Resolut. Lauterb. quest. s. tit. de legat.

(s) NOB. DE BERGER Oe. con. Iur. L. II. s. IV. §. 29. n. 6.

XXVI. Def. 3. MEVIVS P. IX.

(t) L. 32. pr. L. 34. de usur. & fruct. l. 37. §. 1. de legat. II. NOB. DE BERGER cit. loc.

Dec. 192. LAVTERBACH.

(u) a. l. 40. do A. R. D. verb. quia & si fundum suum quis legaverit, haeres, qui eum legatum esse, sciat, procul dubio fructus ex eo suis non

Collig. præf. §. 31. tit. de Legato.

quos plures alii postea fecerunt,

funt.

(y) l. 40. §. 4. 3. C. de episc. & cleri

& Not. 131. c. 12.

(z) cit. L. 40. pr. & §. 2. 3. 4. 3. (s)

minos, pro varietate piorum legatorum, haeredi ad perficiendam testatoris voluntatem praescripsit; ecclesiae aedificationi triennium dedit, xenonis aedificationi vnum annum; ac postea (a) poenam his verbis: *supra autem omne tempus quo distulerint facere disposita scripti haeredes: eos cogi solvere & fructus & redditus & omnem legitimam accessionem, a tempore eius, qui dispositum, mortis sancimus; adiecit.* Ex his autem verbis, iisque, quae antecedunt, abunde patet, Imperator haeredes, qui statim temporibus voluntati defuncti morem gerere, neglexerunt, & rem legatam praestare, & poenam restituendorum fructuum omnisque accessionis a tempore mortis testatoris, subire voluisse. Quod igitur in poenam negligentiae & tamquam sub certa conditione dispositum est, illud simpliciter accipi & ad quoscunque haeredes, piiis legatis oneratos, applicari nequit.

### §. XXXIII.

Altera lege (b) Imperator priorem sanctionem vberius declarat verbis sequentibus: *Si autem legatum ab aliquo ad pias relinquitur causas, iubemus intra sex menses ab insinuatione testamenti numerandos, hoc modis omnibus praeberriri, quibus relictum est. Si autem distulerint, qui in hoc onerari sunt, huiusmodi praebere legatum; & fructus & usurae & omne legitimum exigatur augmentum a tempore mortis eius, qui hoc reliquit. Hac constitutione cum illa, quam praecedente §. adduximus, comparata, nemini dubium esse potest, quin Imperator hic caeteris omnibus legatis piiis, quorum praestationi certum tempus prae finitum non est, terminum generalem praestituere voluerit; qui sex menses ab insinuatione, siue publicatione testamenti, (ita enim*

(a) cit. l. §. 4.

(b) Nov. 131. c. 13.

enim insinuatio accipienda est (c), contiuere debeat. Ex his omnibus itaque efficitur, pia legata, nisi speciale tempus eorum praefstationi praefixum sit, intra sex menses soluenda, iisque demum elaplis, fructus & viuras a tempore mortis legantis, praefstanta esse. Eamque explicationem adiuvat alia quaedam constitutio (d) qua intra tres menses, vel pro re nata, intra annale spatium, donec inventarium conscribitur, legatarii haeredes inquietare prohibentur. Cum igitur haeredibus ante lapsum huius temporis, neque villa mora aut negligenter imputari queat, qua ratione viuras a tempore mortis testatoris, ab iis exigimus? Neque est, quod obuertas: ergo legata pia peioris sunt conditionis, quam caetera, quoniam in his haeres intra sex menses interpellari & in mora constitui potest, in illis vero post lapsum sex mensium demum mora committatur. Nam nupsiā haec interpellatio intra sex menses, piis causis earumne administratoribus prohibita est; & deinde legata pia hoc semper praecipuum habent, quod post lapsum sex mensium viuræ computentur a tempore mortis testatoris, nulla licet interpellatione interueniente, in aliis vero legatis a tempore interpellationis denum. Neque contra ea, quae hactenus differuimus, argumentum ex eo desumti potest, quod alias (e) re ipsa, ex solo tempore tardae pretii solutionis, quoad ea, quae minoribus, quorum iura ad ecclesiias quoque applicant, ex contractibus b. f. vel legatis debentur, mora fieri perhibetur. Nam cum mora magis sit facti, quam iuris (f), id ipsum hic quaeritur, quodnam sit illud tempus, quo haeres solutionem retardare & moram ex re committere coepit? id quod Imperator in piis legatis determinauit, in legatis mino-

(c) l. 2. C. quemadmo. testam. aper. (e) l. 3. C. in quib. casu. in integra  
l. 30. C. de donation. ref.

(d) l. 22. §. 11. C. de lute delib. (f) l. 32. pr. inf. de usur. & fruct.

minorum vero ex circumstantiis, arbitrio iudicis determinandum est (g). Neque enim statim a tempore mortis testatoris vel aditae haereditatis, haeres in mora esse dici potest, sed ipsi aliquod temporis laxamentum, intra quod pecuniam ad soluendum legatum comparet, concedendum est. Lite igitur desuper mota, iudex illud in legatis pupillo vel minori relictis, respiciet; num tantum temporis elapsum sit, ut interim interpellatio ab alio commode fieri, haeresque pecuniam procurare potuerit. In eo enim, quo maiores vigilancia & prudenter sua sibi consulunt, leges minoribus subuenire volunt (h).

### §. XXXIV.

Ad actionem, qua ad legatum pecuniae consequendum utimur, quod attinet illa vocatur ex testamento; et si vel hypothecaria vel personalis, vtraque commode potest coniungi, si aduersus haeredem experiamur, non vero contra tertium rerum haereditiarum possessorem, contra quem hypothecaria tantum recte instituitur. Caeterum actio ex testamento ab aliis inter b. f. actiones, ab aliis vero inter stricti iuris iudicia numeratur. Si originem spectes, olim b. f. videtur fuisse, si ad fideicommissa praestanda instituebatur, stricti vero iuris fuisse, si eadem vtebantur ad legata consequenda. Vnde in fideicommissis usurpas ex mora, non vero in legatis, peti potuisse, disterre testatur GAIUS (i). Verum hunc rigorem in legatis vel sequentes ICTI iam temperarunt (k) vel certe Imperator

(g) MULLERVS ad STRVU  
Exerc. XXVII, th. 68, lit. q.

Comment. ad l. 3. C. in quib. causis  
in integr. restit.

(h) Vid. BRVNNEMANVUS

(i) Institut. L. II. t. 7. in f.  
(k) Vid. VLPIANVS l. 34. de  
usuris.

tor IUSTINIANVS omne discrimen inter legata & fideicommissa sustulit, legata fideicommissis exaequans (1), vt adeo indubium sit, hodie actionem ex testamento b. f. esse, & usuras & fructus ex mora deberi (m). Haec sunt B. L. quae de legato pecuniae differenda duxi. Evidem non ignoro, plura hic dici potuisse, de legato nominum, de legato liberationis, de legato eius, quod testator debet &c. quibus legatis perinde pecunia, quamvis tacite tantum, datur. Sedin legato pecuniae expresso subsistere, neque fines disputationis transgredi, mihi placuit, eorum autem tractationem Praesidi, si ipsi aliquando vixum fuerit, relinquo.

(1) I. 2. C. commun. de legat. §. 21. (m) Add. ILL. BOEHMERVS  
I. de legat. Doctr. de action. S. I. C. III. §. 26.

S. D. G.



AIX.

G

CON-

## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- §. I. Ratio cur legata olim  
a Romanis varie fuerint  
diuisa; & quid Imperato-  
res commouerit ad legata  
cum fideicommissis exae-  
quanda.
- §. II. Ratio instituti ostendit-  
ur.
- §. III. Etymon vocis pecu-  
niae, vocisque Germanicae,  
des Geldes, ostenditur, ea-  
rumque proprii tam apud  
Romanos, quam Germanos  
significatus explicantur.
- §. IV. Quae sint harum vo-  
cularum synonyma? & pecu-  
nia simul definitur.
- §. V. Legatum pecuniae de-  
finitur.
- §. VI. Pecuniae legatum est  
vel definitum vel indefini-  
tum; hoc regulariter com-  
prehendit omnem pecuniam  
in hereditate relictam.
- §. VII. Dubium a fundo  
indefinite legato desuntum,  
resoluitur.
- §. VIII. Alia quaedam ob-  
iectio e l. 10. C. de legat. elicit-  
a, remouetur, & BRVN-  
NEMANNVS ibidem no-  
tatur.
- §. IX. Demonstratur, quod  
sub legato pecuniae indefi-  
nito, numismata etiam  
comprehendantur, nisi de-  
functus collectionem numis-  
matum, separatim, an statt  
eines Münz-Cabinets, ha-  
buerit.
- §. X. Quid sub legato pecu-  
niae indefinito, si illud a  
collybiſta detur, compre-  
hendatur? & an argumen-  
tum, quod res venales ad  
legatum generale non per-  
tineant, in hoc legato lo-  
cum inueniat?
- §. XI. Quid si nummularius  
suam pecuniam leget? &  
num tunc pecunia foenera-  
titia sub ea intelligatur?
- §. XII. Quaestio illa diu-  
dicatur, num vocabulum:  
meum; legato pecuniae ad-  
iectum; ad tempus mortis  
an facti testamenti, profe-  
rendum sit? ubi simil tan-  
gitur diffensus veterum  
ICtorum, quo alii voces:  
meum, suum; pro demon-  
stratione rerum, proprio  
visci inservientium, alii ve-  
ro pro significatione tempo-  
ris accipiebant.
- §. XIII.

- §. XIII. Num legatum pecuniae indefinitum actiones & nomina complectatur?
- §. XIV. Qua moneta, legatum, quantitate, non vero qualitate eius expressa, praestari debeat? quidque iuris sit, si monetae legatae valor postea mutetur? & quid si hoc casu certus nummorum numerus per modum specierum legatus fuerit?
- §. XV. Quid iuris sit, si certa quantitas a testatore ex reditu praediorum futuri anni legata sit?
- §. XVI. Si duae diuersae quantitates per praepositionem: cum; coniungantur, viraeque debentur; si per particulam: vel; disiungantur; dispiciendum est, cui hoc casu electio competit?
- §. XVII. Eadem summa in diuersis testamenti locis a diuersis haeredibus saepius, ab eodem haerede saepius legata, semel tantum regulariter peti potest.
- §. XVIII. Diuersis quantitatibus eidem legatario, ab eodem haerede, in diuersis testamenti locis, legatis, prima tantum debe-
- tur; nisi probetur, testatorum inferiori summa priori aliquid addere vel detrahere voluisse.
- §. XIX. Exceptiones ab hac regula recensentur, si diuersae summae alicui in diuersis scripturis relictae; aut alia summa sub speciali, alia sub generali nomine legata.
- §. XX. Quid debeatur, si testator plus vel minus legatario adscriptis, quam ei legare voluerit? quod ex contextu scripturae interdum elucet.
- §. XXI. Qualem effectum producat, si testator legato eam adiiciat legem, ut libis alicui legasset, semel tantum debeatur? & quid si testator specialiter, quod Tiro infra legaturus sit, praestari nolit.
- §. XXII. De legato ad certum finem relitto agitur, quatenus ille legatarii vtilitatem concernit. Si quantitas huic fini consequendo, necessaria, haud definitur a testatore, officio iudicis constituitur.
- §. XXIII. De legato pecuniae ad alimenta differitur; quid si plures summae ad alimenta

- alimenta legentur, & quae summa debeatur?
- §. XXIV. Quid in legato annuae summae obseruan- dum sit? & si testator vnu- ras, donec summa legata praefestetur, solui ab haerede velit?
- §. XXV. De legato prodi- go relicto, & in quantum conueniat cum legato, ad alimenta dato.
- §. XXVI. De legato pecu- niae pluribus simul relicto, & de iure accrescendi, num illud in legato pecuniae lo- cum sibi vindicet?
- §. XXVII. IULIANI opi- nio, quae l.79. ff. de legat. I. profertur, tanquam caere- ris, ICris & analogiae iuriis contraria, reiicitur.
- §. XXVIII. Exceptiones quaedam a regula: quod ius accrescendi in legato pecu- niae locum non inueniat, proponuntur.
- §. XXIX. Alia exceptio affertur, si quantitas ad modum corporis vel speciei- relicta; & quomodo illa a pecunia, cum demonstra- tione loci legata, differat, disputatur.
- §. XXX. Quando legatum pecuniae tuto per solui possit?
- §. XXXI. De tempore, quo solutio legatae pecuniae fa- cienda sit, disquiritur; & vñras post interpellatio- nem regulariter tantum pe- ti posse, affirmatur; simul que exceptio quaedam ab hac regula allegatur.
- §. XXXII. & XXXIII. Alia exceptio ostenditur, & quid haec in re, de legato pecu- niae ad pias causas dis- positum sit.
- §. XXXIV. Qualis actio ad legatum pecuniae conse- quendum, competit, & num illa sit bona fidei an stricti turis?



AMZ

AMANTISSIMO AFFINI SVO  
ERICO DANIELI  
LIEBHABER  
S. P. D.  
MAGNVS CRVSIUS D.

Dum de legatis pecuniae disputationem instituis,  
Carissime Affinis, in memoriam mihi retucas,  
quae olim de legatis & donariis sacris in pecuniam con-  
uerfir AMBROSIO Mediolanensi Episcopo ab Aria-  
norum factione crimini dabantur, quod vasa initia  
Ecclesiae aurea atque argentea ad subleuandam pau-  
perum miseriam & redimendos captiuos confringit,

confandi & vendi iusserit. Quorum vero criminatio-  
nes iniustas sanctus ille Antistes tot & tantis rationi-  
bus grauiter diluit, ut earum mole penitus oppri-  
merentur. *Aurum*, inquit, *Ecclesia habet*, non ut  
seruet, sed ut eroget & subueniat in necessitatibus: quid  
opus custodire, quod nihil adiuuat? Ille verus thesaurus  
est Domini, qui operatur, quod sanguis eius operatus est.  
Tunc vas dominici sanguinis agnoscō, cum in vitroque vi-  
dero redēptionem, ut calix ab hoste redimat, quod san-  
guis à peccato redemit &c. (\*) Hanc optimam admi-  
nistrationem legatorum, qua citius dandum paupe-  
ribus, quam curandum de ornandis basilicis p̄a-  
ceperunt antiqui Ecclesiae mores atque instituta,  
Chrysostomus, Hieronymus, Paulinus, Augustinus  
pluresque alii pie seruandam iudicarunt; quorum  
testimonia egregia collegit 10. LAVNOIVS in Tra-  
tātu de Cura Ecclesiae pro misérīs & pauperibus p. m.  
81. seqq. Non equidem arbitror, haec proprie  
dissertationis Tuae scopum attingere, sed propter affi-  
nitatem

(\*) Vid. AMBROSIVS de Officiis Lib. II. cap. 28.

nitatem tamen argumenti haud prorsus indigna vi-  
dentur, quae ex principiis Iuris Ecclesiastici atque  
Civilis aliquando peculiari cuidam disquisitioni euol-  
uenda subiicerentur. Interim praesens exercitatio,  
quam sub moderamine Consultissimi Dn. d. WERN-  
HERI publice defendendam suscepisti, gratissimam mi-  
hi offert occasionem primitiis Tuis Academicis nunc  
tanto lubentius adplaudendi, quanto magis studio-  
rum Tuorum ratio, indefessus discendi ardor, opti-  
ma ingenii cultura, vitaeque ac morum elegantia  
omnibus honestis viris probata mihi imprimis curae  
cordique esse debet. Nosti sane, Affinis Carissime,  
saluberrimum Imperatoris Iustiniani praeceptum in  
Praefatione prima Digestorum de Iuris docendi ra-  
tione, *animas prius, deinde linguas fieri debere eruditas.*  
Posteaquam igitur in excolendo veri iustique amore  
sincero laudabilem posuisti operam, priuatimque ad-  
huc plurima virtutis, ingenii & diligentiae Tuae spe-  
cimina dedisti, nunc etiam publico demonstras exem-  
plo, quantum apud Te praecepta eorum valuerint,  
quos attentus & assiduus docentes audiuisti. Quare

non

non possum, quia egregiam mentis indolem virtutis  
amore inflammatam, laudabilesque studiorum profe-  
ctus Tibi ex animo gratuler, omniaque illa bona,  
quae nos vere reddunt felices, ardentissimis votis ex-  
optem. Fac, ut vestigia Illustris Parentis Tui in  
exasciato Iuris studio felicissime premas, & ad solidam  
adspires laudem, quae nomen Tuum patriae vere  
amabile reddat, gratiamque Patronorum atque bene-  
volentiam magis magisque conciliet. Vale.

Scribent Gottingae d. x v. Aprilis anno  
ccccxlvii.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-162370-p0050-1





Göttingen, Diss., 1746

ULB Halle  
005 356 644

3







X 1746, 13<sup>b</sup> 15  
**DISSERTATIO**  
 DE  
**LEGATO PECVNIAE,**  
**dem Geld-Vermächtniß**

QVAM  
**IN ALMA GEORGIA AVGVSTA**  
*PRAE SIDE*

**IOANNE GEORGIO**  
WERNHERO D.



**PVBlico ERVDITORVM EXAMINI**  
**SVBMITTIT**

A. D. APRILIS cœcccxlvi.

**ERICVS DANIEL LIEBHABERVVS**

HANNOVERANVS.

GOTTINGAE  
 LITERIS IO. CHRIST. LVDOLPH. SCHVLZII  
 ACAD. TYPOGR.